

ne: « Per nomen ipsius Filii Dei et primogeniti creaturæ omnis, dæmonium omne adjuratum vincitur et in ditionem redigitur: » et S. Gregor. Nazianzenus, ad Nemesium: « Ipse, inquit, qui Christo nomen dedi, augustum illud nomen vix plerumque pronuntiavi, cum statim dæmon non sine stridore longissime se proripuit, Dei immortalis vim atque potentiam clamans. » Sanctus etiam Abramius, in eum sic aliquando invectus, scribitur a S. Ephrem in ejus vita: « In nullo te tuasque insidias pertimesco, neque plurima tua phantasmata ac spectra terrorem mihi incutiunt. Pro muro siquidem munitissimo atque tutissimo est mihi nomen Domini mei et Salvatoris Christi, quem dilexi et diligo; in quo te nomine increpo, immundissime canis ac miserabilissime. » Causa tantæ hujus nominis efficaciam est, quia Christi divinitatis doctrina, evangelio ac victoria de dæmone comprobanda erat. Ad hunc finem nomen id divinitus ei impositum, et in cruce sanctificatum, atque ab ipso usurpari præceptum est.

VI. Balsamum emortua corpora a putredine conservat diutissime, ut apertum est. Non dubito etiam, quin Jesu nomen, si cor eo perungatur, idque per amorem et devotionem imbibat, præservaturum illud sit a morte mala et æterna. Non desunt, qui cum Adone in martyrologio sentiunt S. Ignatium martyrem a leonibus quidem, uti petebat, dilaniatum et assumptum esse, cor tamen ejus ab iisdem intactum mansisse volunt; quod in ipso nomen Jesu, uti sanctus prædixerat, inscriptum esset repertum. Scimus etiam ex vita Sancti Edmundi Cantuarien. episcopi, dixisse ei Christum, profuturum ei hoc nomen Jesu contra improvisam mortem, qui id singulis noctibus fronti suæ impresserit.

Verum ut has virtutes exerat in nobis istud nomen, advertendum est, quod dixit Plinius, opobalsamum novo fictili excipiendum et condendum esse. Sic enim et nomen Jesu corde novo excipiendum et servandum est, si virtutes ejus in nobis experiri volumus. De quo corde dicitur Psal. L. *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis:* et Ezech. XVIII. *Facite vobis cor novum et spiritum novum: et quare moriemini domus, Israel?* Quasi diceret; Si hoc feceritis, nihil est causæ cur moriamini. Cor autem novum erit, si nullum malignum odorem terreni alicujus affectus ex prioribus peccatis retineat. Pretiosum ergo hoc balsamum in corde novo, mundo et impolluto recipiendum est, sicut corpus Christi in sepulcro novo conditum, sindone nova recenter coempta, involutum fuit. Et hinc utique voluit Christus in exordio

novi anni pretiosum sanguinis sui liquorem in circumcisione fundere, et balsamum nominis sui mundo propinare. Viderint vero, qui hoc tam pretioso liquore temere abutuntur, et quandoque ad ipsius Christi summam injuriam. Ferunt guttam balsami in manu exceptam et solis radiis oppositam adeo effervere, ut manum adurat, Bercor. in reduct. mor. lib. XII. cap. XXVII. Certe etiam nomen Jesu contra ipsum Christum elevatum ac usurpatum, uret illos, qui hoc salutari pharmaco abutuntur ad sui perditionem. Quod a nobis avertat Jesus.

CONCIO VI.

PODERIS AARONIS, QUÆ EST SANCTA FIDELIUM ECCLESIA, CHRISTO IN XENIUM PETITUR.

Vestem petit Christus natus. — I. Contextam ex plurimis filis, charitate unitis. — II. Ex filis rectis et transversis. — III. Ex filis hyacinthini coloris seu cælestis. — IV. Sit vestis talaris. — V. Ornata sit in lumbo malogranatis 366. h. e. bonis operibus. — VI. Instructa totidem tintinnabulis.

THEMA.

Facies vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem. Exod. XXVIII.

Olim imperatores in calendis januarii ad ostia suarum ædium expectabant a pop. Rom. munera seu strenas, ut de C. Caligula scribit Suet. « Edixit strenas ineunte anno, inquit, se recepturum, stetitque in vestibulo ædium calend. januarii ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. » Expectat hodie etiam Dominus et imperator noster cælestis Christus Jesus, ad januam ineuntis anni, quæ est januaris, munus aliquod a nobis. Quid ergo offeremus ei?

In vita S. Catharinæ Sennen. scribit P. Raymundus ejus confessorius, apud Sur. 29. april. ipsi e templo aliquando egrediendi brumali tempore apparuisse juvenem pauperem maleque vestitum, ac petiisse ab ea vestem. Mox illa ad sacellum rediens, exteriori se tunica exiit, eamque pauperi dedit. Qui ubi alia et alias vestes petiisset obtinissetque, tandem, gratis actis, disparuit. Erat enim Christus, qui sequenti nocte eam tunicam gemmis adornatam Catharinæ ostendit, et vicissim ei promisit aliam tunicam, in qua omne frigus utriusque hominis deinceps facile ferret. Ab eo tempore eadem semper veste usa, nullam cæli injuriam sensit. Forasan, auditores, expectatis a me hodie strenam

seu xenium; at ego nunc a vobis potius expecto. Quamquam non pro me, sed pro paupere juvene, imo pro infante pessime vestito, hoc brumali tempore. Is est ille idem, qui S. Catharinæ apparuit, nimirum puer Jesus, frigus in stabulo, pannis modicis vestitus. Huic ego peto xenium, ut eum vestiatis; et promitto vobis, quod ipse non solum vestem illam toti mundo demonstrabit, sed vestiet vicissim vos ita, ut hoc anno nihil frigoris nihilque incommodi, in interiori saltem, si non exteriori etiam homine, sensuri sitis. Quid jam vos ad hoc? Num conditionem respueitis? Non arbitror. Sed scire vultis, qualis esse debeat ea vestis; quod nunc exponam.

Quando Deus Aaronem summi sacerdotii honore inaugurari voluit, præcepit Moysi, ut ei vestem sacerdotalem fieri curaret, et inter alias præcipuam illam tunicam hyacinthinam talarem, Græce *poderem*, in qua, ut dicitur Sapient. XVIII. *Totus erat orbis terrarum.* Varie hoc exponunt Hebræi et Christiani doctores. Nos Aaronem scimus typum Christi fuisse. Porro, teste Augustino, in Psal. XLIV. *Vestimenta Christi sunt sancti ejus, electi ejus, tota Ecclesia ejus, quam sibi, sicut vestem, exhibet sine macula et ruga.* Jam vero:

I. Tunica illa, seu poderis, contexta fuit primo ex filis arcissime inter se connexis. Fila hæc sunt membra reipublicæ christianæ, quæ si charitate inter se connexa sint, pulcherrimam facient telam. Fila telæ dissoluta fragilia sunt, texta autem fortia valde: sic membra reipublicæ: *Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas fortis*, inquit Sapiens, Prov. XVIII. Notum illud Leonis Byzantii, qui missus Athenas, ut pacem et concordiam civibus persuaderet, cum in suggestum conscendisset, derisus est a populo ob staturæ parvitatem. Tum ille sic orditur: « Quid, o viri Athenienses, si conspiceretis uxorem meam, quæ tam pusilla est, ut vix pertingat ad genua mea? At nos tam pusillos, qui concordem quidem in angusta domo jucunde cohabitamus, si quando dissidemus, vix civitas Byzantium capere potest. Idem vobis continget, Athenienses, si fueritis discordes. » Sic persuasit pacem, Plutar. in præcept. pol. Idem ego vobis denuntio, auditores. Si pacem habueritis, parva civitas vos capiet: sin minus, ne magna quidem. Nos Christianos dixi esse Christi tunicam. Eam ipsi mater texuit inconsutilem. Unde vox illa militum: *Non scindamus eam.* Non scindamus etiam nos unitatem Ecclesiæ nostræ charitate contextam. Scimus in veste lacera et discissa Christum Sancto Petro Alexandrino episcopo apparuisse, et questum de Ario, quod ejus vestem (Ecclesiam) laceraret schismate. Non committamus, ut de

nobis etiam queri possit Christus, quod eandem laceremus per civiles discordias.

II. Ex filis partim transversis. Hæc in primis sunt pia quædam dissidia inter membra reipublicæ, salva tamen pace et charitate. Quia enim communiter ducimur affectibus, et sæpe seducimur, expedit ut per aliorum contrarios affectus, nostri corrigantur et regulentur. Qui in navicula vehuntur, si omnes in idem latus naviculæ incumbant, facile eam evertent; at si pars in hoc, pars in latus alterum propendat æquabili pondere navim in æquilibrio continebunt, et secure navigabunt. Sic in communitate, si omnes eodem affectu ducantur, non secundum rationem, evertent rempublicam; secus si diversis. Hinc Ezechiel c. I. vidit currum trahi a diversis animalibus, homine, leone, bove, aquila, ita combinatis, ut prorsus contraria simul jungerentur: a dextris homo et leo: a sinistris bos et aquila. Quid leoni cum homine? Quid aquilæ cum bove? Nihil homine humanius, nihil leone ferocius, nihil bove tardius, nihil aquila celerius. Nimirum alter alterius appetitum, passionem et affectum refrangere debebat, ut currum non evertent. Si aquila volare vellet, bos eum retineret; si leo ferocire, homo eum compesceret: et vicissim si bos tardius incederet, aquila propelleret sua celeritate; si homo rideret, leo rugiret. Hunc in modum, si senatus aut consiliariorum una pars ad nimiam severitatem propendat, eam altera per clementiam corrigat: si mater liberis nimium indulgeat, pater severitate ejus indulgentiam moderetur: si herus erga domesticos sit nimis parcus, hera liberalitate parcitatem compenset: si quis nimis sunt pusillanimes, alii alacritate sua eos animent, et e contra. Deinde, secundum S. Chrysostomum, homil. XVIII. in Matth. diversæ florum tendentiæ sunt diversæ fortunæ seu eventus. Recta prosperos, transversa notat adversos. Et his vitam justorum mirabili varietate contextit Deus. Unde bene Ezechias rex vitam suam telæ comparavit, Isa. XXXVIII. *Præcisa est velut a texente vita mea.* Si omnia fila recta aut omnia transversa sint, nulla fiet textura. Pari modo si omnia prospera nobis eveniant, insolescere incipiemus: si omnia adversa, desperare. Ergo rogemus Deum, ut hoc anno ei deinceps nunc prosperis nos erigat, nunc reprimat adversis; uti fecit sanctis Christi parentibus; ut ibi ostendit Chrysostomus.

III. Erant fila hyacinthini, seu violacei coloris cælum serenum referentis. Tales et nos simus, cælestem in terra colorem geramus. Ecce enim toties præsentis temporis Ecclesia appellatur a Christo *regnum cælorum*, nisi quia fideles mili-

tantes cœlitum formam in se gerere debent? Quæ vero ratione? Primo, Christus id exponit in oratione sua: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Beati in cœlo faciunt omnes Dei voluntatem, licet nulla coacti lege; sed ultro et promptissime; quia omnes Deum amant, omnes Dei amici sunt, et inde omnes reges faciunt quidquid volunt. Hunc in modum vos, auditores, si omnia, quæ mandat Deus, faciatis, non quia præcepta sunt, sed ultro et ex amore, licet nulla foret lex, tunc vere homines cœlestes eritis, et consequenter reges, facietque Deus voluntatem vestram. Hoc est quod apostolus ait I. Tim. VI. *Iusto lex non est posita.* Dionysio tyranno roganti, quid præ cæteris hominibus haberent philosophi, respondit Aristippus philosophus: *Hoc, ut etiam si omnes leges aboleantur, tamen æqualiter victuri simus.* Illi politice, nos christiane. Secundo, exponit natura hyacinthini, qui cœlo se conformat, cum sereno serenus, cum obscuro obscurus est. Tales erimus nos, si Dei voluntati nos conformaverimus, et cum Juda Macchabæo dixerimus: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat,* I. Macch. III. Sic habebimus annum, qualem optamus. Talem in terra beatum dicebat Alphonsus Aragoniæ rex, qui omnia tamquam a manu Dei accipit, Panorm.

IV. Erat ea vestis talaris, ideo poderis dicta, quod pedes etiam tegetet et ad talos usque pertingeret. Scimus ex S. Paulo fideles appellari *membra Christi*; inter hæc pedes quid sunt, teste Augustino in Psalm. LI. nisi pauperes? Hi enim, instar pedum, perpetuo in sordibus degunt, precibus etiam suis cætera membra sustentant. Ergo pedes istos tegere debet tunica illa, quæ estis vos, auditores. Sic sperare potestis annum uberem, omnia quæ erogatis, cum fœnore refundentem. Dicitur enim Proverb. III. *De primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redunabunt.* Experta est inter alios vidua, quæ Eliam pavit ex farina et oleo suo. Non enim defecit eam hydria farinæ nec lecythus olei immixtus est, donec dedit Dominus pluviam super terram, III. Reg. XVII. Ratio est, quia ut matri debetur lac, quo infantem alat: sic liberali erga pauperes substantia, qua eos alere solet.

V. Tunica illa habuit in limbo circumcirca malogranata arte facta. Clemens Alexandrinus, libro V. Strom. ait fuisse tot, quot sunt in anno die 366. minus scilicet 48. horis. Alii pauciora ponunt: significant autem fructus bonorum operum, qui vestem hanc, fideles scilicet, ornant; et nullo non tempore reddi debent; ita ut nulla dies sine linea, sine bono opere transeat. Scimus

enim Christum exegisse fructum a ficu, etiam quando tempus ficorum non erat, teste Marco, cap. XI. et ut quocumque die venerit Dominus, fructum in nobis inveniat. Errant proinde qui putant quadragesimam tantum virtuti et pietati dicendam, reliquum tempus libertati et voluptati posse impendi.

Porro malogranata habent primo, grana hyacinthini coloris, cœlum serenum referentis: sic opera nostra cœlum petere debent, ut cœlestia dici queant, juxta monitum apostoli, I. Cor. X. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Hac ratione opera nostra honesta, imo et indifferentia omnia ex terrenis fient cœlestia, et mercedem in cœlo habebunt; alioquin manebunt terrena, et cœlum non petent. Magna et intoleranda incuria foret illius matris, quæ filios sine baptismo mori permetteret, cum tam facili remedio cœlum eis parare posset. Æque male sibi consulunt, qui opera sua in gloriam Dei non referunt; quia cœlo ea privant, hoc est, mercede cœlesti. Multorum testimonio Margarita comitissa Holsteinia, cum mendicæ geminam prolem exprobrasset, quasi duobus viris consuesset, in pœnam edidit uno partu tot proles quot in anno dies sunt: quæ omnes per baptismum cœlo transcriptæ sunt, et mares quidem Joannis, femellæ Elisabeth nomen sortitæ; mox post baptismum mortuæ una cum matre, et Losduni in monasterio sepultæ sunt die Veneris sancta, an. 1313. secundum alios 1276. Alb. Crantz. annales Brunswic. aliique. Quantum ista mater intulisset? Cogitate vos quot opera vestra cœlo inferre possitis, si omnia in gloriam Dei faciatis, et quodammodo baptizetis, dicendo vel cogitando: *Comedam, bibam, laborabo, dormiam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, vel in nomine Domini, vel ad gloriam Dei.* Quot vicissim perditis, si id non faciatis!

Secundo, grana mali punici pulchre ordinata sunt, et in classes distributa. Sic deberet quisque singula singulorum dierum opera in ordinem redigere, et in suas horas distribuere. Docuit hoc Sanctum Antonium tædio laborantem angelus in deserto, nunc genua flectendo et orando, nunc calathos plectendo, nunc rursus orando, Athan. in ejus vita. Statuat sibi quisque horam mane surgendi, missam audiendi, cibum sumendi, laborandi, vesperi examen conscientie faciendi. Sic jucunde transiget annum maximo cum fructu.

Tertio, grana illa duro et rudi cortice inclusa sunt, unde diu valde sana et integra suoque sapore impleta, quasi virentia, manent. Pari modo opera nostra bona ab aura vanæ gloriæ diligenter

eustodienda, adeoque occultanda sunt, ut illæsa et sana conserventur. Detrahe pomo corticem, videbis id paulo post destitui colore, flavescere, putrescere. Mater Dei Filium suum fasciis involvit, et reclinavit in præsepio, post subduxit in Ægyptum, ne Herodi proderetur. Quod si eum ostentasset, et se Dei matrem proclamasset, Herodis gladio exposuisset. Cautè etiam magi non dixerunt Herodi se venisse cum muneribus ad Christum adorandum, ne Herodis præda fierent. Sic et mater Moysis filium elegantulum occultavit tribus mensibus. Si eum produxisset, Pharaoni prodidisset, in flumen adjiciendum, Exodi II. Herodes et Pharao diabolum notant, qui per vanam gloriam masculis bonorum operum insidiantur prolibus, ut eas perdant.

Quarto, mala punica superne, quasi in capite, coronam gerunt. Ad hunc modum nostra opera habeant coronam et perfectionem suam: *Non coronatur, nisi qui legitime certaverit,* II. Tim. II. cursu vel lucta vicerit. Scimus etiam in mechanicis rebus illos tantum celebrari, et communiter etiam ditari opifices vel artifices, qui opera sua excellenter faciunt, v. g. pictores, qui elegantissime et studiosissime pingunt; pistores, qui optimos et rapidissimos panes pinsunt, magna industria: reliquos negligi, nec facile ad opes assurgere. Hinc olim lex Thebanapictoribus et figuris data, ut imaginum formas, quoad possent, optime exprimerent: qui deterius quid finxissent, pecuniæ multam darent, teste Æliano, l. IV. c. IV. de Var. Multo magis Deus a nobis requirit, ut quam bene possimus, opera bona faciamus. Sunt enim bona opera cibi ipsius, propter quod in judicio dicit: *Esurivi et dedisti mihi manducare;* non utique solum panem, sed omnia alia opera bona. Si ergo nos optimum panem in mensa desideramus; quidni etiam Christus? Non coronabit Deus in judicio verba, sed adverbia, si nimirum bona bene fecerimus: non communionem, sed piam et sanctam communionem: nec orationem, sed attentam et devotam.

VI. Tunica illa in eodem limbo inter malogranata habuit totidem tintinnabula aurea alternatim inserta. Causa affertur loco Exodi citato: *Ut audiatur sonus, quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur.* Et primo quidem, ad excitandam in populo reverentiam erga summum pontificem, unde totus quasi vocalis ingredi Sanctum sanctorum debebat, omniumque oculos ad se trahere. Monent ergo suo pulsu hæ campanulæ aureæ, ut fidelis quisque sibi quærat bonum nomen et auram famam apud alios, absque ambitione tamen. Ita enim vult apostolus ad Rom. XII. *Providentes bona non*

solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Alibi hunc aureum sonum appellat *bonum odorem, Christus lucem: Sic luceat lux vestra coram hominibus, etc.* Matth. V. Ratio est, quam audivimus: *Ne moriatur.* Qui enim bonam famam negligit, peccare non erubescit. Detrahe arbori corticem, et videbis brevi interituram, tametsi ejus vita in cortice non consistat. Bene poterat angelus, percutiens primogenita Ægypti, discernere domos Hebræorum a domibus Ægyptiorum, ex esu agni et aliis; et tamen jussit Deus, ut Hebræi postes domorum suarum tingerent sanguine agni, ne ab angelo percuterentur, Exod. XII. Ecce, nisi ut sciremus Deum non solum quærare internam sanctitatem, sed etiam externam, seu bonum exemplum? Timendum alioquin ne moriamur, et ab angelo percutiamur. Ergo crux non cordi tantum, sed fronti etiam inscribenda: confessio et communio publice facienda: pedibus comitanda publica processio: sic denique vivendum, ut proximi ædificentur nostro exemplo.

Secundo: *In memoriam filii gentis suæ,* ait Ecclesiasticus, c. XLV. Nobis in memoriam reducunt breviter et fragilitatem vitæ nostræ, momentque ut quidquid potest manus nostra, instantè operemur, quia ad mortem properamus. Quando aliquos vocare volumus seu ad templum, seu ad mensam, seu ad servitium, campanas pulsamus. Labuntur sensim anni nostri, cum stare nos putemus. Monent ergo campanulæ illæ junctæ malogranatis, ne in longum differamus bona opera, sed instantè operemur. Videntur enim clamare, quod fratres illi Romæ per urbem circumcumeutes et vociferantes: *Fate bene, fratelli, mentre che abbiamo tempo:* et illud Salvatoris, Joan. XIX. *Me oportet operari donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari.* Ad hoc posuit Deus in pectore nostro hujusmodi tintinnabulum, quod perpetuo sonat et mortalitatem nostram in memoriam nobis revocat; cordis, inquam, pulsus, nunquam interquiescens. Admonet vero nos incendii in corpore nostro gliscentis et sensim nos depascentis, velut campana incendaria; monet nos itineris nostri, quo velut rei, captivi ducimur ad tribunal Dei, rationem reddituri, indeque ad locum supplicii et mortem nostram, velut campana judicialis. Salutis est hic monitor, ne ab improvise hoste aliquando obruamur, et opprimamur; sed vigiles semper in custodia nostra stemus: ex quo etiam securi vivimus.

Ad extremum, quemadmodum Aaron podere illa vestitus semel in annis singulis ingredi solebat in Sanctum sanctorum: ita et Christus Dominus ad finem anni gratiæ, hujus anni, inquam,

acceptabilis, ingrediatur una cum veste sua, Ecclesia, seu electis suis, in sanctuarium suum cœleste ut rependat eis mercedem pro ornamento vestis suæ, qua eum condecorarunt. Eo vocata cum esset a Christo paulo ante obitum suum S. Maria Ogniacensis: *Non potuit*, inquit cardinalis de Vitriaco, in ejus vita, lib. II. cap. X. *tunc præ spiritus ebrietate tacere, sed clamans dicebat: Audi a Domino me ituram in Sancta sanctorum. O dulcissimum vocabulum! Dic mihi mea Clementia*

(sic enim ejus ancilla vocabatur) *quid est Sancta sanctorum!* Ex famula volebat scire, quid eæ dictiones significarent, cum neutra id sciret. Audiebat etiam vocem Domini vocantis et dicentis: *Veni, amica mea, sponsa mea, columba mea, jam coronaberis.* Instante morte, cepit clara et alta voce cantare, nec cessavit spatio trium dierum et noctium laudare Deum. Adventante autem hora ultima, canebat: *Quam pulcher es, Rex noster Domine, Alleluia.*

IN FESTO EPIPHANIÆ.

EVANGELIUM. MATTH. II.

Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum: audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur? At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ: sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis, et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis renuntiate mihi, ut et ego veniens, adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisus sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus: et procidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

CONCIONES.

- I. Ad veram fidem qua ratione perveniatur.
- II. Miseriæ gentilismi.
- III. Religio magorum proponitur in exemplum.
- IV. Magicæ artes cur detestandæ.
- V. Damnantur superstitiones seu vanæ observationes, eæque multiplices.
- VI. Varia divinationum genera exploduntur.
- VII. Documenta.
- VIII. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quanta veneratione et gaudio excipienda hodierna dies.
- II. Pompa legationis trium regum.
- III. Quæ convenientia trium munerum regalium.
- IV. Mira et paradoxa in magorum adventu.
- V. Christus erga magos et humanum genus humanus et quasi aulicus.

CONCIO I.

AD FIDEM VERAM QUA RATIONE PERVENIATUR.

Petendo a Deo lumen: I. Ad cognoscendam veram fidem. 2. Ad cognoscendam veræ fidei necessitatem, et hæresis pravitatem. — II. Interrogando sapienter. — III. Progrediendo in studio bonorum operum.

THEMA.

Ubi est, qui natus est rex Judæorum? Matth. II.

Profecto videtur contingere hæreticis, quod olim Genes. XIX. contigit Sodomitis nequam illis hominibus. Quærebant enim hi magna conten-

tionem ingredi domum Loth, adeoque fores effringere: sed quia pessimo sine quærebant, percussis cæcitate, ostium invenire non poterant. Circuibant ergo domum et palpabant undique parietem, sed ostium non videbant. Eodem prorsus modo hæretici, cum vicinissimi sint Ecclesiæ Christi (utpote agnoscentes Christum) et palpent eum manibus ex certissimis argumentis; vident enim solam Ecclesiam catholicam esse antiquam, universalem, sanctam, apostolicam, miraculis comprobata, etc. interim tamen ostium ejus nequeunt invenire, dum nequeunt persuaderi, ut intrent in hanc Ecclesiam. Sane magi nostri e longinquo, et tamen ad primum statim diei